

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4895

Auteur(s) : Henri d'Oissel [particulier]

Bénéficiaire(s) : Pont-de-l'Arche, Notre-Dame de Bonport (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1258, 23 mai

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Henri d'Oissel donne aux religieux de Bonport 5 sous sur une mesure et deux pièces de terre à Léry, et 12 deniers sur une maison à Pont-de-l'Arche.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Andrieux Jules, *Cartulaire de l'abbaye royale de Notre-Dame de Bon-Port de l'ordre de Cîteaux au diocèse d'Évreux*, Évreux, Hérissay, 1862, n° CCXXV, p. 227-229.

Texte établi d'après a

Noverint universi, tam presentes quam futuri, quod ego Henricus de Oissel, assensu et voluntate Helvisie, uxoris mee, vendidi et concessi et omnino reliqui abbati et conventui Beate Marie de Bono Portu, quinque solidos annui redditus, monete currentis, situs videlicet, quatuor solidos in parrochia de Leri super quoddam masagium situm inter masuram Guillelmi Danois, de Ponte Arche, ex una parte, et feodum abbatisse Sancti Salvatoris Ebroicensis, ex altera, et super duas pecias terre sitas in garanna, quarum una sita est inter terram Guillelmi Le Sage, ex una parte, et terram Johannis Le Hisdeus, ex altera, quos mihi reddebat annuatim Guillelmus, filius Johannis Luce, scilicet ad festum Sancti Michaelis duos solidos, et ad Purificationem Beate Marie duos solidos, et duodecim denarios apud Pontem Arche, situs super quamdam domum sitam inter domum uxoris Ade Anglici defuncti, ex una parte, et domum Gilleberti Belart, ex altera, percipiendos ad Natale Domini, quos Abenia, uxor Aubinet, mihi reddebat: tenendos et habendos dictos quinque solidos dictis abbati et conventui, bene, pacifice et quiete, absque ulla reclamacione de cetero vel contradictione mei vel heredum meorum. Et tenemur, tam ego prefatus Henricus quam mei heredes, predictis religiosis predictum redditum contra omnes garantizare, vel alibi, si necesse fuerit, ad valorem excambiare, maxime et specialiter super domum meam sitam apud Pontem Arche, inter domum Guillelmi dicti Romme, ex una parte, et domum Guillelmi, filii Roberti Grommet, ex altera, quam non poterimus, tam ego quam heredes mei, vendere vel aliquo modo alienare, absque dictorum religiosorum licentia speciali. Insuper predicta Helvisia, uxor mea, juravit, tactis sacrosanctis evangeliis, spontanea voluntate, non coacta, quod predictos religiosos, vel eorum successores, in aliquo foro tam ecclesiastico quam civili, ratione dotis, vel alia occasione amodo nullatenus molestabit, quin teneatur a die quo fecerit, in viginti solidos turonensium pene dictis monachis persolvendis, si contra eos, ut dictum est, super hoc moverit questionem. Et licebit dictis religiosis et eorum successoribus plenariam exercere justiciam in predictis masagiis et peciis terre, nisi predictus redditus ad predictos terminos fuerit eisdem integre persolutus. Pro hac autem venditione et concessione dederunt mihi et dicte Helvisie, uxori mee, prefati religiosi, triginta et octo solidos turonensium, de quibus tenemus nos in omnibus pro pagatis. In cujus rei testimonium, ad majorem affirmationem predicta Helvisia, uxor mea, sigillum suum una cum sigillo meo presenti carte apponere dignum duxit.

Actum anno Domini M° CC° quinquagesimo octavo, in festo Sancti Desiderii, martiris.

Testibus hiis : Hetart ; Galtero de Atrio ; Roberto de Maretot ; Roberto de Ymara ; Gaufrido de Maio ; Stephano Le Manssel, de Leri ; Henrico Clerico, et pluribus aliis.